Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2327
Quelle:
Copyright:



is *Leon. Marinus*, de quo *Pallavicinus* in *Hist. Conc.* P. II. L. 17. c. 1. 2. Adumbratio Articulorum ventilandorum in Concilio de Episcopis, Clericis Canonicis, Ecclesiis &c. numero XXX. Amanuensi non temere fidendum docet Art. 13. *Presbyterorum filij ad sacros ordines non promoveantur, nisi* (si) *paternę incontinentię imitatores fuerint* &c.

*Fol.* 247. *Doctrina de Sacrificio Missę cum Articulis, Canonibusque, Et de Eucharistia Articuli, Canonesque aliquot Tridenti sub Julio III. examinata, sed non conclusa.* Additur XX. *Jan.* 1552. De hac Materia Concilium non nisi 17. *Sept.* 1562. *Sess.* XXII. edixit, ubi tamen aliqui e *Canonibus* hic propositis pene καταλεξιν adoptati sunt.

*Fol.* 256. p. 2. *Bulla Indictionis Concilij Tridentini.* Anno 1542. ut T. *cit. col.* 1.

*Fol.* 263. *Ad illustriss. ac Reuerendiss. Tridentinæ Synodi Legatos et Anstitites Francisci Maurolyci Abbatis* (S. Mariae de Partu) *Siculi Epistola.* Non memini, me de hoc scripto Viri disciplinis mathematicis clarissimi, qui ad Patriam *Messanam* octogenarius a. 1575. extinctus est, alicubi legere, nisi quod *Mongitorius* in *Biblioth. Sicul.* T. I. p. 229. ejus *Epistolas* excitat. Orditur vero: *Si nunquam opus fuit Pontificum authoritate, Principum Christianorum auxilijs, Theologorum opera, et Ecclesię sanctę precibus, hac nostra tempestate his omnibus maxime indigemus.* Mox collaudato Concilii instituto ita procedit: *Indignor sępe egomet mecum, et uix auditis credo, penetrasse malum hoc usque ad extremas Brutiorum oras, ubi oppidula, et uillę quandoque affectant et imitantur isthanc Germanorum gymnosophistarum, ne dicam anthropophagorum inauditam et incredibilem temeritatem. O mores, o seculi ferruginei fecem! Quis ferat hominum ignorantissimos Calabros affectare opinionum nouitates! — Scatebant officinę Bibliopolarum nouorum authorum, et prącipue Germanorum opusculis, scholijs, prooemijs, epistolis, dialogis, quorum cognomina siue Theutonica, siue Germanica, siue Aethiopica uix, aut unquam ore latino proferri poterant, et iam pro Fabio, Cicerone, ac Liuio celebrabantur Roterodamus, Melanchthon, Zuinglius et alia Germanię portenta, qui quasi hederę sequaces, ne dicam pestes, probatos authores et sancta Theologorum volumina ita inuaserunt, ut nihil sine ipsorum prąuia prąfatione, nihil sine adnotationibus legi possit.* Itaque nunc viritim arripiuntur *Melanchthon* et severius *Erasmus*, neve Nostrates solos vapulare putes, *Buccacius* et *Ariostus fabulatores*, *Aretinus ille* (Petrus) *Principum parasitus*, *Francus* (Nic.) *Bernia* (Franc.) *et cęteri Tabernarum histriones*, *Vir* quidam *Gallicus*, *quem* (Mich.) *Nostradamum vocant*, *Geber*, *Arnaldus* (de Villanova) *Lullus* (Raim.) *Picus* (Joh.) *Agrippa* (Corn.) *et reliqui hujusmodi Alchymistę, Cabalistę, Ne-*